SOLEMNIA

IN

ILLVSTRI RVTHENEO

DIE II. IANVAR. ANNI MDCCCXXXVII.

HORA XI. ANTEMERID.

CELEBRANDA

PVBLICE INDICIT

M. CHRISTIANVS GOTTLOB HERZOG
PROFESSOR ELOQ.

Observationum Particula IX.

Praemissa est brevis veteris ac recentioris disciplinae publicae et privatae inter se comparatio; perlustratur deinde locus Orationis Ciceron. pro Archia P. I, 1. a Stuerenburgio editae.

GERAE

EX OFFICINA SCHUMANNIANA.

Reputanti mecum ac deliberanti, quid potissimum argumenti ad scribendum mihi sumerem, publice iam disserendi denuo data opportunitate, tanta uno veluti impetu obferebatur rerum gravissimarum, neque a studiis liberalioris ingenii hominum nec a persona mea alienarum copia, ut de delectu magis ambigerem caute ac prudenter faciundo, quam rerum et locorum inopia quadam et penuria hanc nostram aetatem laborare iusto aliquo cum dolore sentirem. Nam sive quis mecum respiciat veterum scriptorum, qui in scholis tractantur varietatem vitiorumque, quibus singuli quique eorum libri etiamnum, quantumvis multa virorum doctorum diligentia adhibita, reperiuntur deformati, sive librorum antiquorum repetitas aut novas editiones et interpretationes, quarum quanta sit nostrae aetatis ubertas ac fecunditas, incredibile dictu est, sive denique interpretum et editorum de iisdem locis tum quanta sit dissensio, tum in demonstrando et argumentando vel sagacitas vel levitas, in impugnandis adversariis vel humanitas ac lenitas, vel ira atque indignitas, in asserendo et vindicando nunc modestia et temperantia, nunc audacia ac temeritas — hac tanta rerum copia et varietate circumventum potius se animadvertet, ne dicam oppressum, quam in orbis literarii quem vocant, tristi quadam vastitate desertum ac destitutum. Sed quantumvis magna vel sit vel habita fuerit saeculi nostri in pariendo fecunditas, si operum in vulgus editorum ac conditorum multitudinem spectes industriamque hominum eruditorum inexhaustam quandam sedulitatem, tamen virium quoque defectum corporumque et animorum lassitudinem et languorem, hic illic conspicuum et manifestum, qui conquererentur nuper exstiterunt. Ipsa enim illa disciplinarum non modo varietate, sed indigesta paene mole et ambitu fere indefinito puerorum et iuvenum mentes obrui ac prope suffocari; frangi et labefactari bonam si cui est valetudinem perpetua ista et per plures diei horas continuata in scamnis atque subselliis sessione; exhauriri vires quantumvis virides vegetasque atque immaturo sensim pallore subfundi adolescentium genas examinum publice subeundorum vel pondere vel rigore; omnino, ingenia puerorum a primis inde tirociniis exagitari atque huc illuc versari, tam parum corporis curari valetudinem et integritatem, tam raris parvisque intervallis relaxationis aliquid miseris illis concedi ac remissionis, ut minime mirandum sit, si in ludis literariis tam multos exsangues prope pallidaque macie notabiles conspicias bona-

rum artium studiosos, quos ne praematura mors, vixdum liberius vita fruendi copia facta, abripiat verendum sit. En satis amplam atque puerorum magistro publice constituto decoram prorsus atque honestam et refutandi, et quae speciosius quam verius pronuntiata videantur coërcendi et corrigendi materiam ultro suppeditatam: quam qui arripuere occasionem, fecerunt autem id nonnulli scholarum rectores atque magistri non sponte, sed provocati, neque adoriundi quodam pruritu et lacessendi, sed se suosque defendendi ac tuendi necessitate imposita, — quum multis aliis nominibus de rebus scholasticis sapienter moderandis bene meruerunt, tum quae in occulto adhuc latebant verae ac iustae corporis animique disciplinae obstacula atque impedimenta, forti ac bono animo palam facere atque in lucem protrahere non dubitarunt. Haud pauca enim, quae praeceptoribus culpae dare adversariis solenne erat, ea vel per manus tradita, vel legibus publicis praescripta, vel ex more rituque maiorum servata, vel singularum civitatium usibus et institutis accommodata esse demonstrarunt. Omnino tota ista disceptatione apparuit, iustum et aequum aliquod de rebus scholasticis iudicium ferri non posse, nisi ab harum rerum peritis, faciliusque esse vetera usuque recepta impugnare atque subvertere, quam meliora parere atque parare, promptioresque huius saeculi homines esse ac procliviores ad convertenda et immutanda quae sunt, quam ut maiorum institutis et disciplinae suum qua decet verecundia locum atque honorem tribuant, moderati satis ac temperati; postremo quae sit patrum nonnullorum muliebris paene in filios indulgentia, quanta libidinum ipso aetatis luxu divitiarumque abundantia in dies accrescens turba, quae adolescentium delicatulorum mollities et voluptatum undique sensibus animisque oblatarum intemperata cupido, [1]) haec aliaque multa ipsa illa lite effervescente ad animum revocata sunt sapientioribus scholarum quum praeceptoribus, tum moderatoribus.

---

[1]) Animo sibi proponant velim atque ad nostri saeculi rationem perpendant puerorum parentes atque magistri, quae suae aetatis hominibus et praecepit, et crimini dedit Quinctilianus Institutt. I, 2, 6. 7. „Utinam, ita ille inter cetera, liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Gaudemus, si quid licentius dixerint: — pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, inde natura. Discunt haec miseri, antequam sciant vitia esse: inde soluti ac fluentes non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt.“ Addere liceat comparationis gratia, quod de suis superiorisque aetatis moribus in sua ipsius vitae descriptione iudicium tulit vir plane eximius Frideric. Jacobs: *Meine Kindheit verfloss in einer Stille und Zurückgezogenheit, die — von dem Leben des Mittelstandes jener Zeit nicht sehr verschieden war. Viele der Genüsse, in denen die heutige Jugend aufwüchst, waren der damaligen fremd; sie vermisste nicht, was ihr unbekannt war.*“ Vid. *Lebensbilder berühmter Humanisten. I. Leipz. 1837.*

Accedit, quod tota ista disputatio subsidii aliquid praebuit ac nutrimenti studio saeculi nostri singulari cuidam et proprio: quod quo nomine potissimum appellem, ambigo. Utilitatisne dicam atque emolumenti quam fieri potest maxumi ex agris fundisque non magis quam fabricis opificiisque parandi, an quod nonnullis fortasse honorificentius dictum sit, pecuniae divitiarumque qualicunque via et ratione honesta augendarum, utpote in quibus summa vitae vel felicitas vel voluptas posita sit; — an denique saeculum nostrum praedicem in primis beatum et fortunatum ab industriae, qualem mercatores et opifices celebrant, nomine, qua quidquid peregre adhuc in nostras terras advehebatur et importabatur mercium fructuumque, suis vel manibus vel machinis artificiisque parere aut certe compensare aut etiam ab alma tellure exigere summa ope enituntur solertioris ingenii homines, id equidem nescio, et si scirem, censoris partes suscipere meum non existimarem. [2]) Scilicet cavendum esse semper putavi, ne quibus literarum studiis propositum est navare operam, ad dextram modo, modo sinistram oculos animumque flectant, et quanta alio-

---

[2]) Quis est nostrum, quem non graviter adfecerit illa saeculi imago, quam nuper delineavit G. Hermannus, Vir cuiusvis virtutis laude celebratus, in scriptione Academica, qua Augustei Inaugurationem indixit d. III. Aug. 1836. p. 5: „Hinc Mercuriale aevum; privatorum gloria luxuria, parsimonia virtus publica, ipsae Musae opifices; iterum, ut olim apud Admetum, mercenarius Apollo; Utilitas numen saeculi." — Quid? quod et intra Scholarum parietes illud idolum irrepsit: quod qui prosequuntur suspiciuntque adolescentes, eos quantumvis idoneis ingenii facultatibus instructos non modo huc illuc persaepe fluctuare et labare, sed ab ipso illo doctrinae subtilioris et elegantioris termino, quo contendere et poterant et debebant, longius, iusto studiorum tempore transacto, haud raro abesse sat multis exemplis compertum habeo. — Liceat hic commonefacere lectores, quorum interest talia mente secum agitare, commentationis de statu rerum Europae universae quum praesenti, tum futuro, eruditissimae, subtilissimae, quam nuper insertam reperi Actis Diurnis Augustanis: (*Allgemeine Zeit. Beilage 17. Mai 1836.*) cuius auctor, nomine quidem incognitus, sed quo non facile alium rerum publicarum atque civilium invenias prudentiorem ac peritiorem, inter alia haec disserit: *Es giebt nur ein Mittel, der Auflösung aller überlieferten Ideen und Grundlagen durch den stets mächtiger werdenden Materialismus und die materiellen Interessen, d. i. der ausgedehntesten und gränzenlosesten Revolution zu entgehen, es ist die Bewachung des ideellen, oder wenn man will, traditionellen Theils, mit ihm aber der innern Frische, Lebenskraft, Stärke unsrer Bildung, und das eigentliche Heiligthum derselben, damit aber auch das Asyl unsrer Zukunft, sind die Universitäten. — Alles Ideale aber, sey es Glaube, Achtung vor dem Bestehenden, sey es Gehorsam oder Erhebung des Gemüths im Wohlgefallen an dem Schönen, in Begeisterung für das Gute, ist nicht in der Fülle der irdischen Güter, nicht in Dampf und Chlor, nicht in Maschine und Eisenbahn, es ist nichts Messbares, noch Zählbares; es ist das Gegentheil des Materiellen, hat seine Wurzel in dem bessren Theile des Gemüths und seine Nahrung in Allem, was edle Geister vergangner Zeiten Grosses und Tiefes gedacht, erwogen, gethan oder ausgesprochen haben.*

rum sit sive vitae suavitas et voluptas, sive quid ex opera impensa operibusque effectis lucri et mercedis proveniat, anxie quaesitent, quantaque saepe virorum doctissimorum in victu atque amictu tenuitas, quam tardum saepe atque impeditum ad terminum propositum iter; at quanta contra hominum nonnullorum industriorum per artificia et commercia brevi tempore speciosa quaedam et fastosa opulentia, qui cultus ac supellectilis splendor, quae commoda ac diuturna non tam suis quam aliorum impensis in alienis terris urbibusque peregrinatio aut commoratio, et quae alia sunt huius generis vitae vel incitamenta vel levamenta. Ista enim animorum fluctuatio atque in agendo praevaricatio quanto detrimento sit levioris ingenii adolescentulis, praesertim quibus contigit in urbium opulentiorum celebritate vitam degere, quamque delicatiore ac lautiore, qui nunc esse solet, hominum victu et cultu modo virium intentio subito infringatur, modo in literis profectus retardentur, modo ipsa bonarum artium dignitas atque auctoritas detrectetur, et sapientiores norunt nec magistrorum falsa quaedam ac fucata infitiabitur verecundia. Quare non tam publici iuris iudiciique factam velim caussam illam, a Lorinsero, viro celebratissimo [3]), nescio quo numine susceptam atque ad vulgus delatam: quae si inter peritiores tantum atque in secretiore aliquo consilio agitata et diiudicata esset, aptius nostrisque omnium, maxime iuventutis usibus convenientius factum duxerim. Parum enim consuluisse mihi videntur legum publicarum auctoritati et gravitati nunquam non modo imminuendae, sed ne addubitandae quidem aut labefactandae, quibus placuit lamentabili quadam indignatione sortem conqueri puerorum et adolescentulorum heu nimis severae atque austerae disciplinae obnoxiorum, idque patrio sermone, quem intelligere facile est et in promptu, atque libellis et commentationibus quum parvo pretio comparandis, tum non sine ambitiosa quadam auctorum et bibliopolarum contentione proclamatis et divulgatis, sic ut vel ad muliereulas et quorum omnia alia curare atque administrare plus interesse debebat, descenderit de iuventutis nostrae misera sorte propediem levanda garrula ista atque inanis disputatio. Neque mirandum foret, quod quin passim factum sit non du-

[3]) „Lorinseri gravem admonitionem de nimia scholasticae institutionis amplificatione, ingeniorum sane quam corporum sanitati periculosiore, haud pauci leni risu excipiunt." Judicium est Eichstadii, Viri summi, in Indice Scholar. Univ. Jen. per hiem. a. 1836. habend. p. 3. — Ceterum vide, quae de toto illo argumento iusto fere studiosius a multis exagitato moderate graviterque disseruit cl. *Jahn in: Jahrbücher für Philol. u. Pädag. XVI. 4. p. 456* sqq. Ex multis autem eadem de re scriptionibus nuper in publicum evulgatis, inprimis et salibus adspersis et animi quadam alacritate vultusque serenitate, quae auctoris fuisse existimanda est, me delectavit libellus ita inscriptus: *Die Schulfrage der gegenwärtigen Zeit. Ein Dialog. Berlin 1836.*

bito, si ex ipsis etiam discipulis inertes nonunlli atque ignavi solatii aliquid petiissent simulque excusationis a malis istis atque incommodis, quae in scholarum velut ergastulis adhuc perpessos esse bonae spei adolescentes tam strenui multi clamitarent coarguerentque liberalioris institutionis patroni ac defensores. Habes hic, ni fallor, luculentum exemplum, quam prope saepe sita sint disparia inter se ac dissimillima, quam difficile sit nostrae aetatis hominibus temperantiam illam servare ac moderationem, qua maiores nostros excelluisse ipsa illa literarum monumenta testantur, in quibus habitare, quaeque etiamnum usurpare Dei magis providentia, quam hominum prudentia nobis datum est; denique, quam facile nostrae aetatis homines praecipites agantur insita quadam rerum novarum cupidine, ut ultra terminos progrediantur neque suos intra fines consistant [4]), uti ex aliis rebus, ita ex crebris consiliorum, praeceptorum, suasionum ac legum de optima iuventutis instituendae et educandae via ac ratione mutationibus et conversionibus colligi posse contenderim.

Scilicet ut haec ita praefarer, non me impulit vana ambitio, quasi litem exortam diversarumque partium contentionem me esse compositurum opinio teneret, sed unum illud monere atque in animum memoriamque revocare volui, si qui essent rerum ante gestarum immemores, quanta fuerit priorum hominum a prima inde aetate virium intentio, quod indefessum ac continuatum in literis studium, qui labor, quae molestiae, quot vel naturae vel rerum vel hominum impedimenta: quae omnia tot et tanti doctrinae atque eruditionis laude insignes viri non modo sua promptissima voluntate susceperunt, sed bono et alacri animo sustinuerunt, id unum tanquam summum pretium spectantes totoque animo ad id enitentes, ne quis ipsis virtutis elegantiorisque doctrinae laudem praeripuisse videatur. Gesneri [5]) me hic subit cogitatio, Ernestii, Mori,

---

[4]) In libro Jo. Georg. Reinwaldi inscripto: *Kultur und Barbarei oder Andeutungen aus und zu der Geschichte der Menschheit. Mainz, 1825. p. 343.* haec pronunciata memini: *„Beides, das Tüchtigsein in Einem, wie das Feststellen auf den verschiedenen Stufen, ist eben nicht der Vorzug unserer Zeit. Das unruhige Streben hat sich auch leider zu sehr der Wissenschaft bemächtigt. Eins mit Ernst wollen, heisst Einseitigkeit, Pedantismus. Schnell will man von Stufe zu Stufe; Früchte sammeln, ehe man pflanzte; weise seyn, ehe man zu denken lernte; herrschen, regieren, ehe man gehorchte. O, möchte man bei solchem Treiben Basedowscher Weisheit ausrufen, gebt uns mit dem alten Pedantismus den alten Ernst zurück, wenn dieser auf andere Weise nicht bleiben kann.*

[5]) Audiatis, quaeso, liberalioris ingenii generosiorisque animi iuvenes, Niclasium de Jo. Matthia Gesnero haec tradentem: „Quod generatim homines solent facere, ut peccata sua aliis imputent, hoc etiam ex doctis non pauci faciunt, dum suam culpam transferunt in literas. Morbus ille hypochondriacus non tam multos excruciaret, si sequerentur Gesnerum. Ne pectus atque lactea vasa comprimerentur, utque corporis positio, quantum liceret, esset

Ruhnkenii, Heynii, Beckii, ut alios taceam, quorum vel nomina sola insignem praedicant ingenii atque doctrinae laudem, aut quos vivos adhuc nostra celebrat veneraturque aetas. Quibus omnibus quantumvis multis ac paene innumeris laboribus obrutis id contigit, ut non modo satis bona ac firma uterentur valetudine atque ad iustum aliquem vitae terminum accederent, quem demum ubi nacti essent, naturae tributum solverent, sed quod semper summum in votis habuere sapientes, εὐθανασίᾳ, immortalium Deorum gratissimo mortalibus dono, ultima illa necessitas ipsis lenita est atque levata. Sed quo tandem quaeso modo, quibusve auxiliis praesidiisque id factum est? Non alio, opinor, ullo adminiculo aut si quando opus esset, remedio, quam honesta quadam in victu et potu parsimonia et sobrietate, certa quadam per totam vitam et stabili temperantia et continentia, iusta illa et fixa temporis vel otio ac remissioni dandi, vel studiis atque negotiis impendendi dispertitio; denique seria quadam ac severa a libidinibus ac voluptatibus urbanae pariter multitudinis atque agrestium rudiumque hominum abstinentia. Aberat, ni fallor, ab illorum et puerorum et adolescentium usu et appetitu frivolorum istorum, ne dicam, pestiferorum oblectamentorum turbida cohors; herbae Nicotianae [6]) vel

erecta, summo studio admittebatur." Cfr. Eloquent. viror. narrationes de vitis hominum doctor. edit. a cl. Frotschero Vol. II. p. 246. Porro exempli loco sit, quod et iuniores imitentur, Gesneri consuetudo, quam Ernestius laudat Ibid. p. 75. a coena, quam tenuem et parcam sumebat, in museum pergebat, studiisque doctrinae ad horam decimam vacabat. — Vicariam sibi temporis longioris adsciverat mirificam et diligentissimam dispensationem diei, quae nullam particulam sine actione effluere sineret. — De Jo. Aug. Ernestio haec relata legimus in eiusd. libri Vol. I. p. 90. „Animo eius tam excelso idoneum natura domicilium dederat, corpus non exile illud et viribus debile, sed firmum, vegetum, valetudine prospera ac fere inoffensa, quam ad septuagesimum usque annum mira diligentia ac temperantia conservavit." Quid dicam de Graevii, a Petro Burmanno dignis laudibus celebrati, valetudine sine exemplo prosperrima, quam idem ille Orator funebris certissimum sobrie et caste transactae vitae praedicat argumentum? Cfr. Vol. I. p. 185. Εὐθανασίας autem, quam tam multis multa perpessis viris contigisse dixi, insigne habeant atque intueantur exemplum Heynii obitum, qualem enarrat clariss. Heeren in vita Heynii p. 459.

[6]) Neque enim ego ad adolescentulorum hac in re licentiam atque intemperantiam excusandam usurpari velim praeconium illud Tabaci, nimium quoddam ac paene exuberans, quod a Petro Burmanno pronuntiatum legitur in Oratione supra commemorata p. 179. „Divinam enim ille vocat herbam, quam singulari Dei munere maioribus ipsius (intell. Batavos) America ostenderit, cuius fumi quovis ture et myrrha gratiores." Quae quomodo accipienda sint ac restringenda, vel antiqua omnium paene Scholarum publicarum disciplina scriptaeque leges declarant, quibus quum alia licentia vitae, tum herbae Nicotianae usu iuventuti interdictum est. Erat autem tunc ista severitas, si appellare licet, omnium ordinum civibus usurpata, neque liberioris vitae veluti signa atque insignia concedebantur, nisi ad altiores vel sollertiae vel doctrinae, robustioris certe aetatis gradus evectis.

nullus vel rarissimus erat usus; suus etiam tum frigidae aquae manebat honos, cerevisiae bibendae modici apparatus; cauponarum tabernarumque probabilis admodum et laudabilis infrequentia; in saltando modestia et gravioris aetatis hominum etiam in hac arte salutaris quaedam aemulatio; librorum amoenorum magis et iucundorum quam utilium ac lectu dignorum, quibus lectitandis quantum boni otii hodie a multis conteratur ac perdatur, incredibile dictu est, parvus admodum numerus; fabularum Romanensium prope sterilitas: in vita autem et institutione puerorum domestica, quam merito omnis felicitatis et prosperitatis futurae dixerim primum quasi fontem, ingenii certe ac morum naturalem quandam et optimam magistram et rectricem, quae fuerit parentum fere omnium communis quaedam severitas et gravitas, patrumque familiarum apud suos auctoritas, quae tum apud pauperes vitae tenuitas et exilitas, tum in opulentiorum aedibus parsimonia et frugalitas, quam curta et arta ad vitam necessariorum supellex, nostri saeculi cum superiori aevo comparationem si feceris, — haec memorasse aut significasse satis habeo; reliqua quin norit, nemo facile tam caecus est, nisi qui saeculi blandimentis ac deliciis quasi obsopitus dormitat.

Neque haec in honorem prioris aevi ita dissero, quasi mihi cum nonnullis libellorum auctoribus persuasum sit omnia nostra et quae in praesenti sunt, tam corrupta esse et depravata, quantum integra et proba, quaecunque superior aetas tulit. Unum assevero atque contendo, et simpliciorem olim fuisse naturaeque corporis humani convenientiorem vivendi et fruendi rationem, et disciplinam domesticam atque privatam plus graviusque tum discentium profectus, tum magistrorum institutionem et admonitiones adiuvisse et sustentasse; denique ipsos etiam publicos civium mores et propria instituta sua et nativa castitate ac sanctitate puerorum adolescentiumque animos verecundia, pudore, religione, in Deum hominesque pietate imbuisse, sic ut divino quodam instinctu turpia reformidarent, honesta appeterent.

Quare ego quidem non assentior falso de natura humana querentibus, quasi haec nostra aetate imbecillior sit ac debilior, sic ut et vires deficiant ad labores tolerandos et hebetiora languidioraque iuventutis citius flaccescant ingenia, parum apta atque idonea ad tantam disciplinarum molem sustinendam aut recipiendam, nedum digerendam, quanta miseris scholarum alumnis hodie publice in plerisque Germaniae civitatibus ad ediscendum et cognoscendum praescripta sit. Et corporis vires et ingenii facultates etiamnum suppetere mihi persuasum est,[7])

[7]) Esse scio quam multos disciplinae scholasticae vel auctores vel restauratores, qui nullam fere salutem nec publicam nec privatam in ludis literariis condi ac parari posse affirment

artium et disciplinarum quantumvis diversa genera uno eodemque humanitatis perinde atque utilitatis vinculo contineri; ac fere faciliore nunc et sapientius temperata ratione literas doceri et enarrari, non temere aut subito et raptim mentibus iuvenilibus inculcari: postremo, ad examen ubi ventum est publicum, non secreta atque arcana, neque incognita aut aliena, sed diu atque continuo tradita et explicata a studiosis bonarum artium repeti atque requiri. Nempe publicarum legum severitate resarciri ac reparari potuisse ac debuisse credo damnum, per laxiorem disciplinam domesticam iuventuti studiosae illatum; certe praecavendum erat, ne tam multi imperiti et imprudentes vel levioris ingenii adolescentes, saeculi libidinibus ac voluptatibus capti, per socordiam vitam transigerent ad suamque ipsi perniciem praecipites ferrentur. Itaque nostrum non magis quam parentum duco, iuvenes scholarum disciplinae addictos monere et cohortari, ut viribus parcant, ne corpus animumque effeminent, neve malis luxuriae libidinumque venenis infici se patiantur: immo Nasiraeorum instar vitae sese dedant solitariae magis quam circumforaneae, castae potius et frugali, quam delicatae et voluptariae, parcae magis ac tenui, quam opulentae et lautiori: omnino ut scholae assidue discant tempusque constitutum addicant, donec ad vitam publice evocentur. Quod

nisi corporum viriumque exercitationes gymnasticae quas dicunt adhibeantur ad adolescentulorum usus accommodatae. Ac mihi quidem semper infixa haesit dubitatio, num tantum vere habeat ista corporis artuumque versatio atque intentio ad valetudinem servandam et corroborandam momentum, quantum vulgo praedicant athleticae artis, qualis nostra aetate aliquamdiu invaluit, amatores. Certe quum aetatium, tum virium diversitatem caute respiciendam esse, nemo infitiabitur, praesertim si quis consideraverit, quae sit et victus et amictus et consuetudinum domesticarum varietas atque aliis alia ratio et conditio. Deinde semper existimavi summam velut in vita corporeque regundis homini literarum studioso scribendam esse legem, ut modum teneat servetque, quum in aliis rebus, tum in victu ac potu: quam qui negligit aut parvi aestumat, qui tandem poterit ille operi alicui studiose adsidere in eoque perdurare nullo intestinorum viscerumque damno? Nonne intelligentium quisque mecum videt, qui saepe ab illis exercitationibus ad pulpita subselliaque scholarum fiat veluti saltus, subitus certe a laboribus ad bonum otium transitus? At corpora exercitatione ingravescunt: itaque temporis, quod illi tribuatur, et modus sit et apta singulis diebus determinatio. Quid porro de habitu dicam corporis decoro illo ac venusto deque eius dignitate, in quibus quanta sita sit iuvenum commendatio, non est quod demonstrem. Sed quoniam alios alio fert hisce de rebus opinio, liceat quid ego equidem sentiam, palam profiteri. Gymnasticos illos ludos puerorum esse censeo, eosque currendo, saliendo, scandendo, natando reliquaque corporis agilitate adsuefaciendos; adultioribus arma attribuantur iisque sese exerceant, sed liberali quodam modo et elegantiore, qui ab liberalibus artibus nomen usurpare cupiunt; in saltando modestiam observent neve quemadmodum furibundi debacchentur, aut inani turbine sursum deorsum ferantur. Adstipulatur in parte quadam sententiae meae quamquam aliam prorsus causam agens Henr. Leo, Profess. Halens. in libello: *Herr Dr. Diesterweg und die deutschen Universität. p. 78.*

ubi suo tempore contigerit, ut suo quisque loco paratus sit et instructus, id unum omnibus enitendum esse arbitror. Quae si ex vero iudicata sunt, nostrum equidem officium positum existimaverim in cohibendo non magis quam intendendo; aptius duxerim et convenientius acquiescere in publice institutis atque praescriptis, quam dolere et lamentari enervis iuventutis miserabilem sortem, quasi oneri imposito non modo imparis, sed prope succumbentis; praeceptorum nonnullorum ambitiosorum culpa magis factum iudico, quam magistratuum nescio qua tristitia et austeritate, ut prope exsangues atque exanimes conspiciantur nonnullorum iuvenum facies et vultus; postremo, quandoquidem in varias compluresque formas ac species distracta atque discissa compareat studiorum scholasticorum, quae vulgo dicuntur, ratio, ne in uno eodemque genere novae in dies fiant virorum doctorum et magistrorum in diversas partes discessiones atque infinitae paene rerum partitiones, omni providentia cavendum esse censeo. [8])

Sed quae ego animo his ita disputatis indulsisse videor, aliquid spero inde veniae nactura esse a benevolentia lectorum, quod ab officio, quo fungor, haud alienum esse putabam paucis declarare, quae mea de publica illa lite varie iactata et exagitata esset sententia: quae quantumvis parvi per se momenti, propria tamen quia nititur experientia eaque longiore, fortasse non prorsus improbabitur: praesertim quum commendationis aliquid addere dispu-

---

[8]) Quid statuam de disciplinis in scholis tradendis plane necessariis neque unquam abrogandis aut eliminandis, lectorem benevolum doceant verba Ruhnkenii quondam suae aetatis homines literatos ita monentis et cohortantis: „Revellant terminos humanitatis, quos ignavia constituit, recipiant in artium chorum quas inde eiecerunt, et Hemsterhusii exemplo literarum studium cum mathesi et philosophia coniungant." Cfr. Ruhnkenii Elog. Tib. Hemsterhus. p. 232. Vol. I. edit. Frotsch. Sed de ratione ac modo in disciplinis illis usurpandis quum non magis disceptatum sit a viris peritis, quam de terminis, intra quos et vulgaris et subtilior artium illarum optimarum institutio consistat necesse sit, dignissima mihi visa sunt lectu et notatu, quae nuper quum de universa institutione et disciplina scholastica, tum de via et ratione in Mathesi tradendu observanda, hac de re disseruit doctiss. Schroeder Brandenburgens. in Ephemerid. Literar. Jenens. 1836. Num. 160. p. 515 seq. Quanquam non dubito, quin nonnullis artis sive amatoribus sive doctoribus offensaculo sint haec a Schroedero libere atque ingenue pronuntiata: *Auch die Mathematik kann mit allen ihren Formeln todtes Gedächtnisswerk, das viele Rechnen zuletzt rein mechanisch werden. Dass der mathematische Unterricht nothwendig den Verstand so ausserordentlich schärfe, wird jeder beobachtende Schulmann leugnen, der oft gute mathematische Schüler an ihrem Denkvermögen sehr dürftig, steril, mittelmässig, stumpf findet. Vergl. Hegels Logik. Dessen Werke Bd. 3. S. 281.* Atque eidem plane sententiae favet auctor libelli paucis abhinc mensibus in publicum editi: *Ideen zu einer Methodik des Gymnasialunterrichts aus Vernunft und Erfahrung. Von L. A. Händler. Magdeb. 1836. p. 77.*

tationi in animo est aliis quibusdam observationibus iamiam lectorum iudicio proponendis. Occasionem dedit Ciceronis oratio pro Archia P. a Stuerenburgio paucis abhinc annis in lucem edita, novis quum criticae tum grammaticae adnotationis copiis atque praesidiis adornata. Quae quidem oratio, omnibus fere a prima inde pueritia hominibus literatis cognita ac prope inter familiares recepta, quis enim est, quem piguerit, memoriter eam vel totam vel ex parte tenere ac saepe corroborata etiam aetate mente memoriaque recolere? non potuit non meum quoque animum compellere, ut quae nova prioribus commentariis doctissimus editor adstruxerit subtilioris interpretationis subsidia et adminicula, cognoscerem et explorarem, praesertim quum doctissimorum quorundam virorum iudicio recens haec in illa oratione collocata opera et cura vel in primis comprobata esset. Neque me mea opinio fefellit atque exspectatio: mirifice enim me delectatum esse quum prima tum iterata Commentariorum uberrimorum lectione, et lubenter confiteor, neque eruditorum hominum quemquam esse puto, qui tantae tamque continuae editoris et assiduitati ac diligentiae et subtilitati et, quod vel maxime admiratus sum, cum Cicerone intimae in ipsa illa solitaria scholae Portensis celebritate — familiaritati initae iustam ac debitam tribuerit laudem. Qui enim, ita mecum cogitabam, neque dubito, quin multos habeam mihi suffragantes, praeceptorum diligentiae et doctrinae iustior digniorque redditur honos, quam quibus contigit tales habuisse disciplinae alumnos, taliaque ad studia illos vel adduxisse vel incitasse? Quae iuvenilis aetatis transactae recordatio suavior atque iucundior esse potest, quam quae tam maturis tamque dulcibus operae in optimarum literarum studiis impensae excitatur fructibus quum collectis, tum ex agro nunquam quasi remittente in dies colligendis uberioribus? Ita quemadmodum Ciceronem, dum Archiae caussam defendere videbatur, literarum laudes et dignitatem praedicasse vel tironibus cognitum est atque per manus quasi traditum, sic egregium illum Stuerenburgii librum praeconis instar habeo, non magis sinceram erga magistros pietatem, quam meritissimam scholae, cui suam ille acceptam refert institutionem atque doctrinam, famam ac laudem celebrantis. Tales in manus non modo sumant bona fide adolescentes libros, sed versent, exagitent atque, si quem ad veram humanitatem suum fert ingenium studiumque, ad imitandum sibi proponant velim: talibus assiduitatis atque ingenii monumentis refutent liberalium artium studiosi mercenariorum nonnullorum hominum obtrectationes et cavillationes, quasi literis operam navare et futilia tractare non multum inter se distent. Scilicet non desunt, quos quum omnia hominum opera et facta ex aere solido aestumare consueverint, eo ferat animi tumor et fastus, ut dum non Plauti, sed Pluti

praeferunt personam, acclamare videantur hominibus literatis: Hic apud vos nihil est aliud quaesti furibus: Ita inanis sunt oppletae (aedes) atque araneis. — (Plaut. Aul. I, 2, 6.)

Sed redeo ad propositum. Erant nonnulla a cl. Stuerenburgio tum adnotata tum pronuntiata et praecepta, in quibus vel haererem, vel dissentirem, certe quibus in utramque partem disserendi copia facta esset. Et oblocuti sunt nonnullis Editoris doctissimi sententiis ac legibus promulgatis viri quidam eruditi in Ephemeridibus literariis: quorum quam pauci vel multi sint, quibus non omnia placuerint, quae in commentariis illis reperiuntur, nec compertum habeo, et si haberem, non multum ad me pertineret: quippe sua cuique et argumentandi et statuendi ratio est, quam turbare aut impugnare invidiosum duco. Itaque quamvis in aliam intendere videar litem, meas tamen me ipsum partes agere meamque caussam defendere censeant lectores, non aliorum qualemcunque doctrinam subtilioris que ingenii excellentiam adoriri: id quod toto animo reformido.

Sic, ut inde exordium capiam, in quo summa posita fuit veterum Graecorum et Romanorum industria, exercitationem dicendi, in qua se non infitiatur mediocriter esse versatum orator Cap. I, 1. Stuerenburgius non solum actum eam significare contendit, sed etiam facultatem, quam quis exercendo sibi parat: igitur nostrum *Uebung* und *Fertigkeit*. Mirandum etiam esse, addit vir doctiss., quod interpretes de hac altera vocis significatione vix videantur cogitasse, praesertim quum Latini non fere habeant aliud vocabulum ad notionem istam exprimendam. Atque hanc Editoris interpretationem sua auctoritate confirmavit Censor Halensis: redire itaque loci falso adhuc explicati sententiam eo, ut Cicero aperte declarasse existimandus sit, satis magnam se sibi conciliasse dicendi facultatem. At ego hanc Stuerenburgii interpretationem non magis sermonis Latini consuetudini usitatae atque receptae, quam Orationis inceptae dispositioni sententiarumque consecutioni, qualem animo constituerat auctor, repugnare paucis quoad fieri licet, ostendam: quanquam argumentorum, quibus caussam meam probabilem reddam, satis magna suppetit copia. Itaque primum quidem adhaerendum esse puto notioni illi universae, quam lege quadam antiquitus scripta et observata inesse videmus nominibus verbalibus in tio exeuntibus aut, quae huic terminationi adfinis est, sio, omnino ea, qua illorum vocabulorum a Supinis ducta origo cuique appareat. Habet autem hoc singulare et proprium sermo Latinus, quod toti illi vocabulorum generi speciem impressit temporis praeteriti eo ipso, quod ad Supini formam nomina ista effingi voluit. Nonne enim Supini, quantumvis varie definiti ac descripti, forma externa eadem est quae

Participii Perfecti Passivi? Sed ne sit eiusdem significatus, neve cum eo commutetur ac commisceatur, appellationem Grammatici excogitarunt Supini, tanquam peculiaris Verborum formae, qua et propriam huius orationis partis naturam indicarent et a Participiis distinguerent: etsi fuere, qui ipsa illa Participia Passiva Supina nominaverint. Cfr: Priscian. VIII, 9. p. 396. ed. Krehl. At ego tam procul sum, ut eidem illi Grammatico (cfr. p. 395.) adsentiar affirmanti venatum quid aliud esse nisi ad venandum, quaesitum nisi ad quaerendum? ut talem unius eiusdemque notionis sive multiplicationem sive variationem inutilem plane atque inanem indicarem, si qua admissa esset. Sed neque mentis et rationis humanae alias unquam fuit supervacanea excogitare otiosasque veluti vocum et vocabulorum species, ne dicam umbras ac larvas, sermoni intrudere, et rem aliter longe habere mecum consentient, qui Supinorum originem et naturam accuratius consideraverint. Quemadmodum enim Gerundia haud dubie dicta sunt a gerendo, hoc est, ab actione aliqua futura, ad quam contendimus, quam petimus et adfectamus, sic Supinum inde nomen traxisse puto, quod Participii notio et significatio talis hac forma exprimebatur, quae neque ad ulteriora sive futura, neque ad anteriora s. praeterita spectaret, sed quae in se quasi consisteret et acquiesceret, nulla prorsus temporis notione admixta. Nam qui supini sunt sive iacent, ii nec prospiciunt, quod eorum est, qui proni dicuntur aut proclivi, nec retro oculos flectunt, sed neutrius veluti partis suum tantummodo locum tenent. Ergo quemadmodum possidentes non occupant, sed occupatum suumque locum tenent, ita forma ista Supini, quae vocabatur, non actionem vel statum atque conditionem denotare debebat praesentem non magis quam instantem, sed quae absoluta et perfecta cogitaretur; ut brevi dicam, quae ἀόριστως significata haberetur. Unde id factum esse credo, quod observare haud difficile est, ut forma Supini ibi maxime usurpata reperiatur, ubi auctores non rem aliquam continuam aut diuturnam, sed semel atque simpliciter factam referunt aut suum de aliqua re judicium pronuntiant. Tali autem significationi proxima est abstracti notio: cuius quae sint propria signa, omnes norunt: unum est, de quo disceptari queat, non quidem inter peritos, sed a tironibus, quae sit summa veluti et certissima discriminis nota, qua una ab altera dignoscatur nominum Verbalium forma? Cui, si forte incidet, quaestioni sic respondere licet: nomina ex genere abstractorum, in tio vel sio desinentia actionem significare, quae fit et fuit et futura erit: siquidem quae mente tantummodo comprehensa atque defixa sunt, nullis temporum limitibus circumscripta esse possunt; contra verbalia nomina, quorum quasi reliquiae in Supinis istis contineri atque restare credas, factum aliquod

designant, sed eiusmodi, de quo quis non exponit neque enarrat, sed quod quis suo tantum nomine et titulo memorat. Sic, quando totius fere Galliae legati ad Caesarem gratulatum convenisse dicuntur B. G. I, 30 in. ne interpreteris ad gratulandum eos venisse; haberet enim id notionem et actionis futurae et diuturnitatis quantumvis modicae: omnis enim actio futura aliquamdiu duratura est, nec temporis puncto continetur. Neque etiam putes idem esse ac si quis dixerit: ut gratularentur; ita scilicet consilium denotaretur, quo quis in rem contendat; denique non gratulationis caussa venerunt; indicaretur enim gratulandi modus et ratio, cuius notio et significatio ab illo loco prorsus aliena est; postremo non venerunt gratulaturi; nam qui hac Participii forma appellantur, conditioni alicui obnoxii sunt, cui et satisfacere et deesse licet. Convenerunt potius legati ad factum aliquod peragendum sive ad rem absolvendam, quae anteaquam perficitur, perfecta et absoluta cogitatur: veluti convenerunt, ut gratulati essent, i. e. ut gratulatio facta esset: quae eodem fere redeunt, ac si quis dicat, ut gratulatio fieret, qualis fieri solet. Semper itaque res ipsa ponitur tanquam cognita et comperta et quae saepe antea facta sit. [9])

Quae si ex vero disputata sunt, exercitationem quidem illam dicendi actionem interpretabimur nullis temporum terminis circumclusam, sed liberam quasi atque solutam; sed quominus facultatem intelligamus, vel maxime impediet id, quod quaevis facultas, quam vere et proprie dicas, nihil est, nisi res vel virtus, qua quis praeditus cogitatur atque instructus. At, quantum sit rem inter, quam quis possidet, et negotium, quod quis exercet, discrimen, non est quod demonstrem: satis est monuisse nomina illa verbalia usu quidem et consuetudine dicendi in notionem rerum deflexisse, sed earum, quibus actionis nota inseparabili quodam vinculo adhaeret: velut supplicatio et factum aliquod et actionem significat. [10]) Accedit,

---

[9]) Cfr. Liv. XXII, 14, 4. Spectatumne huc sociorum caedes et incendia venimus? Ibid. 15, 4. misso exploratum L. Mancino. Et quod Livio usitatissimum est: praedatum ire. — Plura autem et subtilius de vi et potestate Supini disputata qui cognoscere cupit, is Gernhardum adeat, Virum Clariss. in Opusculis. Lips. 1836. p. 111 sq. et quos ibi laudavit recentioris aetatis Grammaticos. — Videbunt autem peritiores et quorum talia inter se comparare interest, Gernhardi aliam quidem disputandi rationem esse ac meam, accurationem scilicet, copiosiorem, eruditiorem; verumtamen Virum doctiss. a mea Supini descriptione haud ita procul abesse. Cfr. p. 113. Proxime ad meam sententiam accedere video Ramshornium Lat. Grammat. §. 170.

[10]) Quanquam verendum est, ne in argutiolis referatur notionis distinctio, qualem constitui, tamen sententiae confirmandae haec addere liceat argumenta. Primum enim Verbalia

quod Cicero se in exercitatione dicendi mediocriter esse **versatum** ait; quo verbo usurpato quid indicare voluerit, haud obscurum erit, praesertim exemplis aliquot allatis. Sic Cicero Catil. III, 7, 9. Manlium memorat, qui una cum Furio semper esset in hac Allobrogum sollicitatione **versatus**; pro leg. Man. c. 3. ita regnat, ut velit in vestris vectigalibus, hoc est in **Asiae luce versari**; ibid. c. 7. haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in **foro versatur**; Sall. Cat. c. 60. in. Catilina cum expeditis in prima acie **versari**. Sed in rebus tam tritis et ubivis obviis non est cur diutius commorer: pro certo tenendum est, **versari** in aliqua re, quemadmodum *διατρίβειν*, *διάγειν*, *διατελεῖν*, significare hominem aliquem non raptim aut cursim rem qualemcunque attingere, aut per breve tempus ea adfectum fuisse et delectatum, sed diutius ea et occupari et retineri, sic ut in ea quasi habitare videatur et agitare, idque cum quadam et mentis alacritate et corporis habilitate. Atqui, qui aliquamdiu in opere quodam versatus est, ipso usu et labore facilitatem quandam agendi et operandi acquirit: unde **versatum** passim dixerunt veteres hominem agendo exercitatum et negotiorum quorundam munerumque obeundorum peritum. Quae quum ita sint, quis est, qui unius sententiae partes conciliare audeat aut Ciceronis ingenio convenienter coniunctas habere hasce: in facultate dicendi, quam sibi comparaverit, se haud parum elaborasse? Itaque, ut lubenter concedam, **exercitationem** esse posse et quae fit et quae fuit, hoc est, praeterita aliqua et ante acta, tamen ubi quis dicitur **versatus** esse in **exercitatione**, de sola actione peragenda et quae duret, cogitari debere contendo, non de **facultate**, quam quis sibi vel paret vel paraverit. [11]) At, ita monebit fortasse aliquis, nonne exempla pro-

---

ista **actionem** significare vel id demonstrat, quod passim cum Casu nominis coniuncta reperiuntur, quem verbum, a quo ducta sunt, regit, veluti: **quid tibi hanc aditio est?** Cfr. Excurs. I. ad Caes. Bell. Gall. a me edit. Patet autem istis Verbalibus non actionem aut conditionem unam et quae semel acciderit designari, sed totum aliquod **genus**; inhaerere igitur illis nominibus notionem similitudinis et consuetudinis. At omne consuetum et olim factum est et fiet et in posterum fiet, et ad omnia quae **vere sunt** aeque pertinet atque ad ea, quae mente et animo finguntur aut percipiuntur. Omnem autem consuetudinem esse, non quod in puncto temporis eveniat aut inciderit, sed quod aliquamdiu duret, sponte intelligitur.

[11]) Simile quid legimus apud Demosthen. pro Coron. p. 328 (135. ed. Wunderl.): *εἶτ' ἐπὶ τούτῳ τῷ καιρῷ ῥήτωρ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας ἀνεφάνη, καὶ πεφωνασκηκὼς καὶ συνειλοχὼς ῥήματα καὶ λόγους συνείρει τούτους σαφῶς καὶ ἀπνευστί. — Καίτοι ταύτης τῆς* **μελέτης**, *Αἰσχίνη, καὶ τῆς* **ἐπιμελείας**, *εἴπερ ἐκ ψυχῆς δικαίας ἐγίγνετο — τοὺς* **καρποὺς** *ἔδει καλοὺς καὶ γενναίους καὶ πᾶσι ὠφελίμους εἶναι.*

stant satis luculenta, ab doctiss. Stuerenburgio in auxilium vocata, quibus exercitationis tanquam facultatis paratae notio defendatur? Cui ego haec. Sunt ista quidem exempla a Cicerone petita, sed speciosa magis, quam vera et firma. Nam ut omittam locum ex Cic. Oratione Catil. III, 5, 11. sumtum, qui ne pariter ac tota illa Oratio imitatoris cuiusdam ingenio debeatur, vereor, quae in libri de Oratore III. capite 31, 78. leguntur eiusmodi sunt, ut meam quoque admittant notionis descriptionem, qua exercitationem interpretari licet: *praktische Uebung:* sic ut sententia non sit: per hanc (*mittelst*) dicendi facultatem, quam exercendo adepti sumus; sed hac — exercitatione [12]) sive, quum nostra haec fuerit exercitatio, ad quam Velleius nunquam accessit, cuius nullum unquam periculum fecit. Nobis quidem in tali conditione dicere solenne est: *bei der Uebung:* quanquam Ablativum istum haud immerito dicere licet causae efficientis, quippe qui indicet, cur aliquid fieri queat. Cfr. Rothium ad Taciti Agricolam p. 176. Sed erunt fortasse, quibus haec inter-

---

[12]) Neque tamen haec ita intellecta volo, quasi in exercitatione idem esse arbitrer, quod exercitatione; etenim praepositionem tempus denotare, quo et quo durante quid fiat aut factum sit, bene novi, interdum tamen nulla sermonis lege violata unam cum altera structuram commutari posse nemo infitiabitur: velut Tacit. Hist. I, 84. in discursu ac tenebris et rerum omnium confusione patefieri occasio etiam adversus me potest. Cui compares Nep. Agesil. 5, 2. namque illa multitudine, si sana mens esset Graeciae, supplicium Persas dare potuisse. Ceterum, quum semel in hac re diutius versari libuit, etiam in rem esse puto monuisse, ne quis dicendi usum cum illa exercitatione commisceat. Est enim usus primum quidem agentis potissimum et factitantis suamque dicendi qualemcunque facultatem usurpantis; exercitatio vero rhetorum maxime scholis conclusa ac veluti adstricta. Deinde usu peritiam quidem nostram et sollertiam intendimus atque adaugemus, verum per occasionem tantum, non consulto ac de industria, quemadmodum exercitatione, quae tota est in discendo et elaborando. Tum qui usu aliquam nominis celebritatem adeptus est, is in publicum prodiisse caussasque egisse statuendus est, quum exercitatio dicendi ipsa ad publicam eloquentiam atque forensem iusta quaedam sit et continua praeparatio. Sic Ciceronem pro Balbo c. I. exorsum audias: quae sunt igitur meae partes? Auctoritatis tantae, quantam vos in me esse voluistis; usus mediocris, ingenii minime voluntati paris. Et Tacit. Hist. I. 90. extr. Erant, qui genus ipsum orandi noscerent crebro fori usu celebre. Usum autem interdum esse irrationalem Quinctilianus monuit X, 7, 11. Attingere simul liceat hic locum Sallustii varie exagitatum Cat. 7. 4. ubi nos cum aliis exarari iusseramus: Jam primum iuventus — in castris per laborem usu militiam discebat: quod quum Kritzio durius dictum videretur, ipse per laboris usum scribi maluit. Verum examinent peritiores, num quid habeant auctoritatis ad locum Sallustianum constituendum haec Plutarchi dicta in vita Themistocl. c. 3. τῇ δὲ πείρᾳ μάλιστα τοὺς Ἕλληνας ὤνησαν, ὑπὸ τῶν ἔργων παρὰ τοὺς κινδύνους διδαχθέντας. Adde, quod Sallustius quum veterum Graecorum scriptorum, tum oratorum haud incuriosus aemulator, haec Thucydidea I, 18. fortasse recordatus est: ἐμπειρότεροι ἐγένοντο μετὰ κινδύνων τὰς μελέτας ποιούμενοι.

pretatio contortior videatur, quam cui quis fidem habeat aut adhaereat: his aliisque suspicacioribus locum indicare liceat, quo vix aliud ullum argumentum validius efficaciusque invenias. Leguntur apud Ciceronem in Oratione pro leg. Manil. c. 1. haec: „Nunc quum et auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi usu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre, certe et si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt; et si quid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse censuerunt.“ — Est autem tale exemplum, quamvis unum, pro multis, praesertim quum tota Oratio illa tam eleganter et venuste composita sit, tantaque diligentia et cura adornata, ut quum universae sententiae, tum singula quaeque verba cum delectu et iudicio a Cicerone usurpata atque enunciata habenda sint. Totus vero ille locus tam planus est atque perspicuus, et quid inde nostrae causae auctoritatis adiungatur et firmamenti, tam in aperto est, ut ampliore demonstratione non egeat. Itaque aliam Stuerenburgii sententiam tentare liceat, a qua recedere vel experientia iubeor. Latinos, ait vir doctissimus p. 23. non fere habere aliud vocabulum ad notionem nostri „*Fertigkeit*“ significandam, praeter illud, de quo dictum est, exercitationis. Mirabar, quum primum haec ita iudicata legerem, quid esset, quod vir doctiss. notionis illius vocabula desideraret propria ac significantia, quum Cicero in eadem illa Orat. p. leg. Manil. c. 17. summam copiam ac singularem facultatem dicendi Q. Hortensii laudaverit; cui compar est locus c. 14. ubi dicendi gravitate et copia valuisse Pompeius praedicatur. Adde vim dicendi et firmam illam facilitatem, quam Quinctilianus in oratore esse voluit Instit. X, 1. 1. Ne multa: pleni sunt veterum scriptorum libri locorum et exemplorum, quibus solis luce clarius appareat, quantum inter se distent dicendi facultas et exercitatio: quarum quidem haec antecedit, illa consequens est. De his itaque satis superque dictum esto: ad id iam procedat disputatio, quod postremo contra monendum videbatur. Scilicet totius loci tenorem, a Cicerone servatum, eum esse iudico, a quo exercitationis, hoc est, sive usus forensis, sive qualis esse solebat in scholis rhetorum, mentio ac commemoratio abesse nequibat, nisi quis iactantius et insolentius Ciceronem, quam modestius et cautius orationem exorsum esse putet. An probabile censeas atque ingenio Ciceronis consentaneum, quod factum foret admissa illa Stuerenburgii interpretatione, ut suam dicendi vim et facultatem ante laudasse videatur, quam rationi et doctrinae, qua usus erat, debitam gratiam retulisse? Ipsa enim ista dicendi vis et facultas nonne exercitatione nititur aeque ac doctrina et ratione?

Et si cui est dicendi facultas, nulladum superstructa ac munita aut coercita et temperata disciplinae et institutionis legibus atque praeceptis, nonne verendum est, ne loquacitatis potius et garrulitatis speciem praeferat, quam verae eloquentiae? cf. Quinctl. X, 7, 12. „Mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui disposite, ornate, copiose dicit, sed tumultuari." Adde, quod ipse Cicero plane et perspicue, quam intellexerit rationem, paullo post explicavit, dum argumentando et demonstrando ita pergit: Quod si haec vox, huius hortatu praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit etc: Habes igitur exercitationis quum rhetoricae tum forensis accuratam descriptionem: in utraque autem mediocriter se versatum optimo iure ac modestissimo nomine dicere poterat Cicero. Ergo plane acquiescendum esse censeo in illa uti simplicissima, ita verissima interpretatione clariss. Matthiaei, quae et antiquissima est et inde ab Hottomanno continuo quodam tenore omnibus fere interpretibus probata. Parum autem id facio, quod Stuerenb. quaerendo obiecit, num quis unquam scriptor dixerit: in me est exercitatio dicendi pro: me exerceo in dicendo? Apparet enim verba illa in me proxime referenda esse ad ingenium; duo alia ista, quibus orandi facultatem consummari contlnerique persuasum erat antiquis rhetoribus, exercitationem et rationem, proprie non in aliquo esse posse, sed hominis esse, qui utrique operam dedit, atque in eo tantum comparere ac manifesta fieri, ideoque ex verbis illis in me supplementi veluti loco pronomen arcesendum esse mea. Sed satis iam fecisse videor officio suscepto; qui plura de praepositione in noscere cupiant, adeant illi cl. Handium Tursell. III. p. 254. 12. In eo certe mecum consentient viri docti, non magis aut absone aut apte plane et recte exercitationem esse in aliquo dici potuisse, quam rationem dicendi: [13]) unum cum altero aut stare suumque locum obtinere aut cadere et labare censeo.

---

[13]) Id tamen ab editoribus in usum tironum adnotatum vellem, cur rationem dixerit Cicero ab optimorum artium studiis ac disciplina profectam? Neque enim sufficiebat rationem interpretari doctrinam, scientiam, quod factum videmus a Moebio, Steinmetzio aliis, siquidem et doctrinae et scientiae ratio aliqua esse debet: quae ubi non est, memoriae tantum vis exercitatur ac locupletatur; mentis atque intelligentiae exercendae non magis quam iudicandi et argumentandi vix aliqua copia fit. A quibus autem artium studiis Cicero petendam istam esse statuerit dicendi rationem, ipse docet de Orat. I, c 5. in. ubi in eandem sententiam „Maius est hoc quiddam, ait, quam homines opinantur et pluribus ex artibus studiisque collectum. Deinde falsus fuit, opinor, Moebius in explicandis verbis: huius rei, quibus Ciceronem variationis gratia usum esse censet pro exercitatione dicendi. Neque enim exercitationem significari voluit orator vocabulo rei, sed eloquentiam, cuius notio per Synthesin repetenda est ex verbo dicendi. Exemplum exstat prae ceteris luculentum in eodem illo Ciceronis loco de Orat. I, 5 extr. et c. 5. in. ubi eloquentia, qua quis

Sed haec hactenus: reliqua quae in promptu erant, in aliud tempus reservare, quo ad hominum doctorum iudicium deferam, ipsis arctioribus illis Commentationi publice constitutis limitibus cogor, intra quos consistere oportet. Erat autem in propositis, quae mea sit de verbi repetere deque particula prope significatu et positu diversa a cl. Stuerenburgio sententia, palam declarare: utinam ne hactenus disputata prorsus lectione indigna reperiantur!

Superest, ut ad Solemnia crastino die hora XI. antemeridiana ex instituto maiorum concelebranda omni qua decet verecundia invitem INSPECTORES Gymnasii AMPLISSIMOS, civitatis et urbis nostrae PROCERES GRAVISSIMOS, rerum nostrarum FAUTORES HUMANISSIMOS: quorum frequentia uti Solemnibus nostris nunquam defuit, ita ut et nova hac data laetandi gratissimique in Dei summi benignitatem et providentiam animi testificandi opportunitate Magistrorum et discipulorum conventui interesse haud dedignentur, hac qualicunque scriptione pie ac modeste Eos rogatos velim.

Dicendi antem atque orandi periculum facient Secundi Ordinis discipuli tres, bonae indolis adolescentes: ex quibus

Aemilius de Beulwitz, Geranus, patrio sermone *Periclis* laudes praedicabit; tum

Hermann. Schatter, ex pago Neunhofen ditionis Vimariensis oriundus, de *fortitudine et constantia veterum Romanorum in summis rerum discriminibus* oratione Latina exponet; postremo

Guilielmus Henning, Greizensis, carmine Germanico grati ac pii animi sensus in Deum declarabit.

Gerae, Kalend. Januar. a. MDCCCXXXVII.

---

excellat, quamque partam et paratam habeat et maius quiddam et res appellatur. Cfr. Klotz Tuscul. III, 26, 64. p. 332. Herbst ad Quinct. X, 7, 12. ut ipsum illud, quod in se rationem non habet, in ratione versetur; scil. usum denotat Quinctil. et de rationis proprio significatu Klotz ad Tusc. I, 1. p, 5. a quo aliquantum discrepat Kühner. Est autem ratio et disciplina, ubi coniuncta reperiuntur, nihil aliud, nisi nostrum: *wissenschaftlicher und systematischer Unterricht*: quam notionem paullo infra Cicero expressit per rationem quandam conformationemque doctrinae. — Apparet autem, rationem ex eo genere esse notionum ac rerum, quas et extra nos positas (*objective*) et nobis proprias vel quasi adhaerentes cogitare et fingere liceat. In eo autem, de quo agimus loco, ratio ista Ciceronis est, quam ipse sibi vindicat, ergo est: *wissenschaftliche Methode und Bildung*, (*im Gegensatz der blossen Routine, usus irrationalis*) cuius quis leges et praecepta in dicendo sequitur ac prodit. —